

Ce texte contient des dialogues. Les interlocuteurs sont, à chaque changement, identifiés. Il arrive que la prise de parole se fasse à l'intérieur d'un vers : on a, dans ce cas, un tiret dans le vers et une double indication de locuteur (ex. VIATOR - GENIUS), le premier nom désignant celui qui laisse la parole, le second celui qui la prend.

## DE TUMULIS LIBER I

T1\_1 v.1 Hactenus Idalios cantus, leve carmen, in umbra  
 2 lusimus ad thalamos, blande Hymenaeae, tuos.  
 3 Nunc, age, quis titulo dignus juvenisve, senexve,  
 4 seu mulier, seu vir, sive puella, canam ;  
 5 dumque cano, interea flores lege, collige myrtos,  
 6 Uranie, et multa sparge sepulcra rosa,  
 7 sparge et opes, cari blanda, tuas, age et ipsa, Patulci,  
 8 sparge tuas, spargas, Antiniana, tuas.  
 9 Est suus et tumulis honor, est sua cura sepulcris,  
 10 ipsa quidem accensa testificanda face :  
 11 urite odoratos ignes, redolentia dona,  
 12 quaeque et Arabs mittit, quaeque Sabaeus ager.  
 13 Dum manes condo tumulis, tu, caste sacerdos,  
 14 tange aram et patrios rite precare deos ;  
 15 nec muto cineri non et bona verba precesque  
 16 debentur, querulis verba sonanda modis.  
 17 Vos quoque, pallentes umbrae, solatia cantus  
 18 haec capite ; et manes flebile carmen amant.  
 19 At tu flebilibus numeris haec adjice, Petre  
 20 Compater, ut certa membra quiete levent,  
 21 floreat ut sua cuique croco venerabilis urna,  
 22 frondeat ut viridi myrtea silva coma.

## TUMULUS URSI URSINI COMITIS NOLAE AC DUCIS ASCULI

T1\_2 v.1 Non artes tibi Romanae, non gloria belli  
 2 defuit, aut magno principe dignus honor,  
 3 non fortuna domus, clarique a stirpe parentes,  
 4 Urse, nec antiqua nobilitate genus ;  
 5 praestans ingenio, praestans et viribus idem  
 6 corporis, ingenii sed gravitate prior.  
 7 Illustris titulos dedit et tibi Nola, dedere  
 8 oppida multa tuo recta sub imperio ;  
 9 defuit ah tantum vitae pars optima, namque  
 10 mors properans medio tempore te rapuit.  
 11 Sed tibi victrices Musae statuere sepulcrum,  
 12 ne mors ipsa tuas debeat exequias.

## TUMULUS ALFONSI DAVALI MARCHIONIS PISCARIAE

T1\_3 v.1 Arma manu tibi capta et victo ex hoste trophaea  
 2 haec tibi marmora erunt, haec tibi erunt tituli ;  
 3 hoc tibi Mars statuit, statuit Bellona sepulcrum,  
 4 o Davale, haec cineri debita busta tuo.  
 5 His, Alfonse, jaces ornatus et obrutus armis :  
 6 arma tibi tumuli, tela tibi tituli.

## TUMULUS IULII PARMERII EQUITUM PRAEFECTI

T1\_4 v.1 Da, tuba, terribilem sonitum, tubicenque, canoro  
 2 aere tona : hos tumulos clangor et arma decent.  
 3 Julius hic situs est : strepitus juvat et juvat ensis  
 4 clavaque, Parmesium bellica parma juvat,  
 5 gaudet et his heros concentibus ; en canit umbra  
 6 ad numeros, placidos ducit et ipsa choros.  
 7 Nunc rursus, tuba, nunc, tubicen, fera murmura rursus  
 8 ingemina, ut cantu marmora pulsa sonent :  
 9 hic honor ad tumulos magnorum et saxa virorum  
 10 debetur, Martis sic stata sacra jubent.  
 11 Pro patria hic cecidit : manes, gaudete sub urna,  
 12 gaude et Iuleis, umbra ferox, tumulis.  
 13 Pro patria occubuit pugnans, murisque cruento,  
 14 dum stetit, hostiles reppulit ense manus.  
 15 Nos plausum simul ore damus, simul aere canoro  
 16 Parmesio : haec patrius munera poscit amor.

## TUMULUS HYDRUNTINORUM CIVIUM. COLLOQUUNTUR VIATOR, GENIUS ET SACERDOS

## VIATOR

T1\_5 v.1 In fronte est tumuli scriptum : "Sacer est locus ; " intus  
 2 tibia funereos deflet eburna modos.

## GENIUS

3 Ore favete omnes ; manes sua funera deflent  
 4 infleti, ob patriam qui cecidere suam.

## VIATOR

5 Ingratos patriae mores. Sparsere cruorem  
 6 pro patria : patrius cur male gratus amor ?

## GENIUS

7 Ossa, solo quae sparsa jacent, nunc colligit Hydrus,  
 8 colligit et rigidis viscera passa rubis.  
 9 Parcite jam, manes, planctu, miserandaque cessent  
 10 murmura ; nam tumulis rite paratur honor.  
 11 Dic, age, dic bona verba, senex, jam conde sepulcro  
 12 viscera et in tumulis ossa repone sacris.

## SACERDOS

13 Ossa, subite pios loculos et inite sepulcrum,  
 14 viscera, sacratas rite subite domos,  
 15 pro patria occubuistis adacto in pectora ferro ;  
 16 vos patria ipsa suis prosequitur studiis.  
 17 Ite pia ad superos animae, postquam ossa quierunt :

18           ossa quieta manent ; ite, piaae, ad superos.  
 19       Vobis parta quies caelo, nova patria caelum est ;  
 20           ite, piaae, ad superos, en agite, ite, animae.  
 21       Hoc posita est tumulo pubes Hydruntia, caelum  
 22           est data cui propriis patria pro meritis.

TUMULUS HIPPOLYTAE MARIAE DUCISSAE CALABRIAE. VIATOR LOQUITUR

T1\_6    v.1    Hippolytam quisquis videat miretur, ut illam  
           2           ipse quidem credat Pallada vel Venerem ;  
           3           talis ea in tumulo est ; illi sic prorsus ademit  
           4           mors nihil, ut dicat Pallada seu Venerem.  
           5           Permanet, et decor atque oris praestantia culti  
           6           hujus, ut atque hujus jam fluat ore melos ;  
           7           permanet et sua majestas popularis et aerae,  
           8           ille quidem vere conciliator Amor,  
           9           ut simul et Venerem referatque et Pallada, ut illi  
           10          insit et hinc Pallas, insit et inde Venus.  
           11          Non hic Hippolyte jacet, at Pallasque Venusque ;  
           12          at tumulus nec habet Pallada, nec Venerem,  
           13          nec jacet Hippolyte tumulo. Mihi parcite, divae :  
           14          Pallas et Hippolyte cum Venere hic recubant,  
           15          cum Venere Hippolyte recubat, cum Pallade et ipsa  
           16          Hippolyte, ut divae tres tumulo hoc jaceant.

TUMULUS CICELLAE PUELLAE SURRENTINAE

T1\_7    v.1    Quo decor, heu, quo gratus honos, quo tanta venustas,  
           2           quo nitor ille abiit, culta Cicella, tuus ?  
           3           Omnia mors rapuit, quaeque et natura Venusque  
           4           contulerant, quaeque ars, heu, brevis hora tulit.  
           5           In cineres, heu, versa jaces ; vix nomina servant  
           6           saxa tibi, longo post abolenda situ.  
           7           Seu tantum cinis es, seu nil, seu labilis umbra,  
           8           sive es in aetherio forma recepta polo,  
           9           has violas cape supremos et thuris honores,  
           10          fleta diu nuribus, flenda Cicella viro.

TUMULUS MYRTILAE PUELLAE. AMATOR AD SEPULCRUM QUERITUR

T1\_8    v.1    Hic soli mihi flere licet ; tu laurus et una  
           2           myrtus ades, paucis et lapis icte notis.  
           3           Parve lapis, quem flore novo, quem thure Sabaeo,  
           4           et veneror multa tum prece, tum lacrima,  
           5           tu mea, tu miseri tumulo male contegis isto  
           6           gaudia, et exsultas, saeve, dolore meo ;  
           7           redde meos, mihi redde meos, redde, improbe, amores.  
           8           Quid juvat e lacrimis immaduisse meis ?  
           9           Immadeas, maduisse juvet, si non mea flendo  
           10          lumina siccitas deficiunt lacrimas ;  
           11          sed lacrimas tibi habe, nec enim queror, accipe odores,  
           12          accipe cum fletu munera mista suo.  
           13          Unguenta atque rosam et costum properate, puellae,

14 et violam et cunctas spargite veris opes,  
 15 spargite opes Arabum ; lacrimas ego ; tu, lapis, illas  
 16 ebibe, et in rorem, lumina, abite novum.  
 17 Rore novo madeat tellus, quae contegit ossa,  
 18 ossa pios manes, numen et ossa meum.  
 19 At tu perpetua, laurus, quae fronde virescis,  
 20 tu myrtus, de qua Myrtila nomen habet,  
 21 fundite odoratos flores silvamque perennem  
 22 ad tumulum, lacrimis crescite et usque meis,  
 23 crescite : jam in latices, liquidum jam solvor in amnem,  
 24 jam fluo ; sed fluidum me tamen urit amor.

TUMULUS VENERILLAE PUELLAE A PONTANO ADAMATAE. IPSA LOQUITUR.

T1\_9 v.1 Hos tumulos ne temne, precor, ne temne, viator :  
 2 sic tua contingant gaudia, siquid amas ;  
 3 da requiem et cineri : virgo jacet, huic sua quondam  
 4 regna ferus cessit, matre volente, puer.  
 5 Spirabat veneres oculis, afflabat amores  
 6 ore, sinu charites, blanditiasque genis ;  
 7 contulerat studium formae nihil, et tamen illi  
 8 saepe comam finxit, pinxit et ora Venus ;  
 9 consuluit speculum nunquam : Cytherea negarat,  
 10 ne flammam e facie duceret ipsa sua ;  
 11 risisset : blandi passim comitantur amores,  
 12 ridebat fuso gratia et ipsa sinu.  
 13 Hanc juvenes arsere, senes cupiere, puellae  
 14 optavere marem ; qui videt, ille perit.  
 15 Persephone invidit, vellitque a vertice crinem :  
 16 illa cadit, cecidit forma decorque simul.  
 17 Ipse Amor, ipsa Venus misero incubuere feretro,  
 18 planxerunt Charites pectora nuda manu.  
 19 Ut spolia effigiumque videt, Plutonia conjux  
 20 paenitet, et specie vincitur invidia.  
 21 Fannia dicta fuit vati, Venerilla puellis.  
 22 Quisquis amas, tumulo sarta rosamque dato.

TUMULUS MUNDITIANAE PUELLAE

T1\_10 v.1 Munditiana, tibi funus peperere hymenaei ;  
 2 ipse Hymen luctus, taedaque et ipse fuit.  
 3 Te Maiiae primum nuptam videre calendae,  
 4 te postrema dies, heu, male condit humi.  
 5 Mense malas olim maio nupsisse puellas  
 6 fama est, et Maias omen habere faces.  
 7 Munditiana, tibi est Hymenque et funera majus,  
 8 et majus violas det tibi, detque rosas.

TUMULUS LEONTIS TOMACELLI. MARINUS FRATER AD SEPULCRUM QUERITUR

T1\_11 v.1 Quae Phoebos, quaenam Aoniis est cura puellis ?  
 2 Phoebe, vale, valeant Aonidesque tuae,  
 3 o pereant herbaeque tuae succique valentes,

4 et pereant cantus, sit sine voce lyra.  
 5 Ergo obiit Leon ? Ah tumulus tegit iste Leonta ?  
 6 O rigeant lauri silvaeque, Phoebe, tua,  
 7 arescatque Helicon, sitiatur liquor Hippocrenes,  
 8 nec tibi sint arcus, nec tibi, Phoebe, coma.  
 9 Clamabat puer infelix : "Succurrite, Musae,  
 10 ferte et aquas ; o, me, Castalis unda, juva."  
 11 Sed nec Castalides veniunt ad vota vocatae,  
 12 nullus Castalio, nullus ab amne liquor.  
 13 Tabescit sensim frater ; sua jura reliquit  
 14 natura : "O tete, frater amate, sequor."  
 15 Quid frustra ad tumulum quereris, Tomacelle ? Leonta  
 16 nec tegit hic tumulus, nec cinis est reliquus.

TUMULUS FRANCISCI AELII. VIATOR ET GENIUS COLLOQUUNTUR

VIATOR - GENIUS

T1\_12 v.1 Quis jacet hoc tumulo ? - Nullus jacet. Hunc sibi vivus  
 2 Aelius, hanc statuit post sua fata domum.  
 VIATOR  
 3 Cur interque herbas interque virentia culta,  
 4 qua nitet aurata citria silva coma ?  
 GENIUS  
 5 Hanc illi silvam Musae, hos statuere recessus,  
 6 quo post umbra suo gaudeat in thalamo.  
 VIATOR  
 7 Quid, quod et Assyria spirant de marmore odores ?  
 8 Quid, quod et Assyrio nardus honore fragrat ?  
 GENIUS  
 9 Illos Assyriis Charites de collibus, hanc et  
 10 detulit Assyria Gratia ab usque plaga,  
 11 hoc illi meritum Musae post fata rependunt.  
 12 O scriptor Latia nobilitate lyra.

TUMULUS FRANCISCI PUDERICI EX NOBILITATE NEAPOLITANA

T1\_13 v.1 Quis sibi, quis tumulum vivus parat ? Anne sepulcro,  
 2 mortem dum metuit, dum cita fata, cavet ?  
 3 Franciscus tumulum statuit Pudericus, et ipsis  
 4 consulit exequiis, et sibi busta parat ;  
 5 nec mortem timet aut mortis mala, sed quod honorem  
 6 deberi hunc cineri funeribusque putat.  
 7 Nam mortem vitae pretium finemque laborum  
 8 judicat, et vitae posterioris iter :  
 9 sunt testes vitae tumuli, finemque fatentur  
 10 esse quidem alterius, principium alterius.  
 11 Nunc urbem colit et Musas ; post dona sepulcri,  
 12 Elisiumque colet Pieriasque domos.

TUMULUS MARULLI POETAE. PONTANUS IPSE LOQUITUR

T1\_14 v.1 Hoc vacuum tibi Pierides statuere sepulcrum,  
 2 et Graia et Latia clare Marulle lyra ;

3 ipse etenim Aonia in silva atque Heliconis in antris  
 4 laetus agens, illic ocia grata teris ;  
 5 illic formosae ludunt ad plectra puellae,  
 6 et tecum ad choreas carmina lecta canunt,  
 7 et tibi responsant silvae Peneiaque antra,  
 8 plaudit et Ogygio roscida ripa lacu.  
 9 Nil praeter nomen tumulo. Per opaca vagaris  
 10 culta, per Elysium, docte Marulle, nemus ;  
 11 hinc tibi se ad cantum adjungit formosa Corinna,  
 12 cantat et ad calamos Delia culta tuos.  
 13 Illinc compositos exercet Cynthia saltus,  
 14 exercet raros Lesbia blanda choros.  
 15 Nec Parca eripuit ; Musae rapuere Marullum,  
 16 Arnidi ne fieret grata rapina deae.  
 17 Sis felix igitur Mosis comes, et tua Musae  
 18 Ambrosio foveant membra adamata sinu.

TUMULUS MARINI TOMACELLI EX NOBILITATE NEAPOLITANA

T1\_15 v.1 Dum timet haeredes nullos Tomacellus et ipsis  
 2 consulit exequiis, dum cavet ipse sibi,  
 3 hunc tumulum sibi constituit vivusque locavit,  
 4 et dixit : "Lapidi sint sua verba meo.  
 5 Sit lapis hic, sit terra levis, nullusque Marinum  
 6 non puer, aut juvenis, nulla puella fleat.  
 7 Me sat sit multos vivum flevisse per annos ;  
 8 o nollem cineri sic superesse meo.  
 9 Cesset honos, cessent tot munera publica totque  
 10 Regia, me ignavus condat inersque sopor.  
 11 Quae caelo est pietas vocet ad se, si mea caelum  
 12 respexit pietas, si mea facta deum."

TUMULUS IULII POMPONII VIRI LITERATISSIMI

T1\_16 v.1 Pomponi, tibi pro tumulo sit laurea silva,  
 2 ossa maris rores myrteaque umbra tegant,  
 3 teque tegant artusque tuos violaeque rosaeque,  
 4 ver halet, Zephyros spiret et ipse cinis ;  
 5 stillet et ipse cinis, quas et Parnasus et antra  
 6 Thespia et ipsa suas Ascra ministrat aquas.

TUMULUS MARIANI HEREMITAE. VIATOR CUM ADMIRATIONE LOQUITUR

T1\_17 v.1 Huic cineri deus ecquis adest ? Nam carmina Musae  
 2 lecta canunt, lectis assonat urna modis.  
 3 Ossa solo, Mariane, jacent tua ; nobilis umbra  
 4 laeta fugit tumulos, laeta petit superos.  
 5 Dicite io ; jam victor, io, Mariane, subisti  
 6 aethera conspicuum, conspiciende diis,  
 7 ornatusque caput lauro, plaudente senatu,  
 8 intrasti sanctas sanctus et ipse domos,  
 9 ascitusque choro divum caelestibus astas  
 10 conciliis, summo perfruerisque bono.

11 Haec Musae ad tumulum referunt. Cinis ipse, valetō,  
12 servari auratis digne cinis loculis.

TUMULUS GABRIELIS ALTILII EPISCOPI POLYCASTRENSIS AC POETAE DOCTISSIMI

T1\_18 v.1 Et tibi dant tumulos Musae meritumque sepulcrum,  
2 et tibi dat titulos quae tibi culta Charis.  
3 Altili o venerande, jaces hic ? Hac jacet urna  
4 pontificale decus, pontificalis honos ?  
5 Ergo agite, o nymphae Sebethides, ergo age, virgo  
6 Parthenope, ad tumulum spargite veris opes,  
7 sparge tuos flores florum fecunda Patulci,  
8 et tu sparge tuas, Antiniana, rosas.  
9 Altilio requiem dic, o Chari, dic age, Clio :  
10 "Luceat Altilio lux sine fine meo."  
11 Quisquis adest pia verba sonet, madeatque sepulcrum  
12 de lacrimis, madeat, Pieri, rore tuo.

TUMULUS THEODORI GAZAE NOBILISSIMI ORATORIS AC PHILOSOPHI

T1\_19 v.1 Sume lyram, dic, Musa, modos, dum condimus umbram :  
2 et puer et coluit numina vestra senex.  
3 Indignus tellure, deos, Theodore, petisti ;  
4 sera quidem, tamen est longa parata quies.  
5 Virtute ingenique bonis hoc ipse parasti,  
6 ut caeli aspiceres aurea tecta senex.  
7 Nos artus terra tegimus : tu, caste sacerdos,  
8 dic requiem ; aeternum jam, Theodore, vale.

TUMULUS ANTONII PANHORMITAE POETAE NOBILISSIMI. GENIUS LOQUITUR

T1\_20 v.1 Siste, hospes : fas est cantus audire dearum ;  
2 grata mora est, Musae nam loca sacra tenent.  
3 Antonii monumenta vides ; hinc templa frequentant ;  
4 illi fuit sacri maxima cura chori ;  
5 illum saepe suis medium statuere choreis ;  
6 duxit compositos arte decente choros.  
7 Saepe lyram cessit Clio, cessere sorores ;  
8 concinuit teneros voce manumque sonos.  
9 Extinctum flevitque Aon, flevitque Aganippe,  
10 Sebethus miseris egit in amne modos ;  
11 Sirenes quoque de scopulis miserabile carmen  
12 ingeminant : planctu litora pulsa sonant ;  
13 Pierides tristem ad tumulum effudere querelas,  
14 Pierides passis post sua terga comis.  
15 Hinc crevit desiderium, nec cura recessit  
16 vatis, at, extincto vate, remansit amor ;  
17 conveniunt nunc ad tumulum celebrantque choreas,  
18 et memorant lusus, magne poeta, tuos.  
19 En audis, sonet ut levis concentibus aura ?  
20 Ut sonet appulsu concita terra pedum ?  
21 Haec vati memores Musae post fata rependunt ;  
22 carminis hoc meritum est. Num satis ? Hospes, abi.

## TUMULUS AURAE PUELLAE. PARENTES AC SOROR AD SEPULCRUM QUERUNTUR

T1\_21 v.1 Tecum una, mea nata, mori materque paterque  
 2 debuimus, tribus haec ut domus una foret.  
 3 Nata patri, nata matri et soror una sorori,  
 4 dic, ah dic miseris, nata sororque : ubi es ?  
 5 Has pater infelix lacrimas miserandaque mater  
 6 exsolvit, crines hos soror atra tibi ;  
 7 nata, audi : pater hic genuit, dedit ubera mater,  
 8 et tenera infelix pressit ad ora soror.  
 9 Non audis, nil dona movent, ingrata, nec usquam es,  
 10 nec pietas aut est ullus in orbe deus.  
 11 Terra, tibi has lacrimas, miserorum dona parentum ;  
 12 mobilis, at voces, aura, sororis habe :  
 13 aura, tenes quod adhuc nomen miserabilis Aurae,  
 14 terra, quod heu cineres, viscera nostra, tegis.

## TUMULUS ROBERTI VILLICI. POETA LOQUITUR

T1\_22 v.1 Terra, senex, tibi sit facilis, sint munera terrae  
 2 grata tibi, et flores grata rependat humus.  
 3 Tu terram coluisti et terrae munera sollers ;  
 4 culta tibi et tellus cultaque debet humus,  
 5 culta tibi et citrius debet, Roberte, colenti,  
 6 et debet vitis, debet et uva tibi.  
 7 Et vitis det grata tibi, det et uva liquorem  
 8 optatum, largo diffluat urna mero.

## TUMULUS LAURINAE PUELLAE. IPSA E TUMULO LOQUITUR, VIATOR RESPONDET

## LAURINA

T1\_23 v.1 Haec laurus mihi dat titulos famamque sepultae,  
 2 quae quondam vivae nomina clara dedit ;  
 3 sub lauru Laurina tegor, mea vestit et ossa  
 4 laurus, et ipsa meo vescitur e cinere.  
 5 Per me igitur vivit laurus, Laurinaque vivo  
 6 in lauru, et vitae mutua cura sumus ;  
 7 ipsa eadem lauro materque et filia, laurus  
 8 ipsa mihi est titulus, ipsa quoque est tumulus.  
 VIATOR  
 9 Vivite frondenti pariter sub cortice junctae,  
 10 ipsaque sis lauro filia, sisque parens.

## TUMULUS PTOLEMAEI GALLINAE CATINENSIS CELEBRIS ASTROLOGI

T1\_24 v.1 Digne senex caelo, caelum, Ptolemaee, petisti ;  
 2 pro Catina caelum patria facta tua est,  
 3 quasque olim stellas numeris, quae sidera cursu,  
 4 nunc metire oculis, fataque certa tenes ;  
 5 et tibi quae series rerum, lexque ipsa futuri  
 6 nota patet, summis perfruerisque bonis.



7 A puero mihi culte senex Gallina, valetō  
8 perpetuum, et Catinae vive perennis honos.

TUMULUS LAURENTII MINIATI NOBILIS ASTROLOGI

T1\_25 v.1 Quid numeras, Miniate ? Nihil numerare necesse est,  
2 sidera sub pedibus qui modo cuncta vides,  
3 cuncta suos agere anfractus seque ordine summo  
4 cogere et errores rite subire suos.  
5 Ne numera, Miniate : quies tibi parta ; quiete  
6 utere, et humanis exue te studiis.  
7 Ipsa quies deus est, deus est et vita bonumque,  
8 vita bonumque simul ; utere utroque simul ;  
9 exutusque hominum curis rebusque molestis,  
10 Laurenti, aeterno rite fruare bono.  
11 Nos, memores veteris studii sociique laboris,  
12 haec tibi pro sanctae munere amicitiae.

TUMULUS FUSCAE MATRONAE. LAUDATUR A CASTITATE

T1\_26 v.1 Centum Fusca procos habuit, nec casta cubile  
2 polluit aut sancti jura verenda tori,  
3 centum Fusca procos risit, coluitque maritum :  
4 o raram in longa posteritate fidem.  
5 Hoc virtutis opus dura inter et aspera sese  
6 erigere et fortis exeruisse manus ;  
7 vivit Fusca igitur celebris post fata, fidemque  
8 testantur nullo marmora victa situ.

TUMULUS FULCI FERRARIENSIS MUSICI MAXIME CELEBRIS

T1\_27 v.1 Bistonii anne senis sonat hic lyra ? Bistonis anne  
2 quae traxit silvas horridaque antra chelys ?  
3 At neque Bistonii senis est lyra, sed lyra Fulci,  
4 quae mulsit juvenum pectora, quaeque senum,  
5 assonuit cui, Peneo persaepe relicto,  
6 Delius et carmen flebile junxit amans,  
7 assonuit cui Cylleni testudo, et amantum  
8 deflevit curas, flevit et ipse suas.  
9 Nec nunc muta silet Fulci lyra ; Fulcus et ipse  
10 non silet, at Stygias carmine mulcet aquas.  
11 Dum sonat, Elysiae ludunt ad plectra puellae ;  
12 dum canit, ad numeros quaeque puella canit,  
13 nec sentit Tityus rostrum nec vulturis ungues,  
14 nec ferus ad portas Cerberus ipse latrat.  
15 Dum vixit, Fulco regum plausere theatra ;  
16 nunc plaudit Stygii flebilis aula dei.  
17 Vive igitur plausus inter choreasque silentum,  
18 aeternum et valeas, perpetuumque cane.

TUMULUS ERRICI PUDERICI EQUITIS NEAPOLITANI

T1\_28 v.1 Quis satis huic, hospes, cineri feliciter optes,  
 2 cui fuit ex omni parte probata fides ;  
 3 cognatis, patriae bonus, et vir commodus agris,  
 4 utilis et bellis, parque domi atque foris ?  
 5 Detractum Errico nihil est sub iudice morum,  
 6 quo merito jactat se Puderica domus.  
 7 Dic igitur pia verba simul cum thure, sacerdos,  
 8 da nardum ; huic tumulo dicere non sat have est.

TUMULUS FORTUNATI. IPSE IN TUMULO LOQUITUR

T1\_29 v.1 Non amplae mihi divitiae, non regna fuere,  
 2 sed modicus census, sed sine labe toga ;  
 3 nec mihi regales epulae, sed victus honestus,  
 4 mensaque communis resque modesta domi ;  
 5 cultus ager, sine lite domus, sine sorde supellex,  
 6 parca quidem conjux, sed sine prole fuit.  
 7 Hinc Fortunato nomen fecere, quod essem  
 8 contentus modicis simplicibusque bonis.  
 9 Sorte sua laetus quisquis fuit, ille Beati  
 10 fert nomen. Felix, nomen inane puto.

TUMULUS ANGELI GENTICORI IUVENIS BENE ERUDITI

T1\_30 v.1 Nec Mysis non carus eras : tibi carmina Musae  
 2 Aoniae et dederant fila movere lyrae,  
 3 et dederant linguae cultum et praecepta loquendi,  
 4 Genticore, atque artes posse docere bonas ;  
 5 nec tibi non aderant Charites, non fautor Apollo,  
 6 Angele ; eras docti pars vel honesta chori.  
 7 Sed tibi nil Musae comites, nil fautor Apollo  
 8 profuit, aut Charitum quae tibi juncta cohors.  
 9 Omnia mors superat, fatum secum omnia claudit ;  
 10 non tamen hoc nostras finit amicitias.

TUMULUS IAOMOTI FORTISSIMI IUVENIS AC FORMOSISSIMI

T1\_31 v.1 Dum ruit incautus stratum Jaomotus in hostem  
 2 occubat, et victi victor ab ense cadit.  
 3 Extinctum flevere duces, tristesque manipuli,  
 4 castraque magnanimi funere maesta viri ;  
 5 indulisit juveni lacrimas rex mitis, et illum  
 6 ornavit maestis funeris exequiis.  
 7 Movit amans fletum virgo, movere puellae ;  
 8 forma quidem lacrimis digna erat illa novis.  
 9 Elatus misero est urbis maerore, tulitque  
 10 hanc laudem, quod non liquerit ipse parem.

TUMULUS PERINELLI MUSICI INSIGNIS

T1\_32 v.1 Plectra jacent sine honore, lyrae sine honore sepultae,  
 2 et citharae et cantus et sine honore tuba,

3 sibilaeque arboribus desunt et murmura rivis,  
 4 destituit tacitas ipse susurrus apes.  
 5 Sola avium veteres servat Philomela querelas,  
 6 sola et hirundo novos suscitatur ore modos ;  
 7 hae, Perinelle, obitum luctu testantur, at illa  
 8 sordent et nimio muta dolore tacent.  
 9 Sume lyram in tumulo, Perinelle, et plectra moveto :  
 10 jam lyra, jam citharae, jam tuba et ipsa canet,  
 11 sibilaeque arboribus strepitent et murmura rivis,  
 12 juverit atque alacres ipse susurrus apes.  
 13 Quo tumulo, Perinelle, jaces, tecum jacet omnis  
 14 et sonus et cantus, auraque voxque silet.

## TUMULUS IUNII IUNIANI MAII

T1\_33 v.1 Et myrtus tumulo satis est sola et satis ipsa  
 2 laurus ; at hunc tumulum vestit utrumque nemus,  
 3 quem Charites persaepe, novem persaepe sorores  
 4 invisunt ; tumulus nec sine honore suo est.  
 5 Hae choreas agitant, Junique ad marmora Musae  
 6 dulce canunt ; numeris frondea silva favet,  
 7 laetantur lauri, myrtus laetatur et omnis,  
 8 ac Maii felix nomine ridet humus.  
 9 Hic vates requiem ducit : feliciter umbra  
 10 dormiat, et cineri sit sopor usque pio.

## TUMULUS GREGORII TIFERNATIS. PONTANUS TUMULUM SALUTAT

T1\_34 v.1 Gregorio sit terra levis, ver assit et urnae ;  
 2 terra ferat flores, urna liquore fluat.  
 3 Plaudat et huic Latium tumulo plaudatque juvenus  
 4 Itala ; Gregorio et, Umbria, plaude tuo.

## TUMULUS FRANCISCI HIACHINI GRAMMATICI NON IGNOBILIS

T1\_35 v.1 Non tibi certa domus fuerat, non culta supellex  
 2 mensaque, vix tenuis, docte Hiachine, focus :  
 3 hoc ex morte tibi lucri est, quod nulla supellex,  
 4 non focus ipse opus est, quod tibi certa domus.

## TUMULUS MASUTII SALERNITANI FABELLARUM SCRIPTORIS EGREGII

T1\_36 v.1 Hic quoque fabellas lusit, tinxitque lepore,  
 2 condiit ornatis et sua dicta jocis ;  
 3 nobilis ingenio, natu quoque nobilis, idem  
 4 et doctis placuit principibusque viris.  
 5 Masutius nomen, patria est generosa Salernum ;  
 6 haec simul et vitam praebuit et rapuit.

## TUMULUS AURELII INFANTULI. MATER AD SEPULCRUM QUERITUR

T1\_37 v.1 Has tibi pro mammis lacrimas proque ubere fletum,  
 2 nate, cape ; has lacrimas ubera nostra puta ;  
 3 quique tibi ad cunas cantus, quae naenia quondam,  
 4 hi tibi nunc questus, hic tibi sit gemitus,  
 5 has bibe nunc lacrimas, haec, haec nunc hubera sume,  
 6 naeniolae et lusus nostra querela tibi est,  
 7 quosque dedi flores et quas de flore corollas,  
 8 hi tibi sint crines, haec tibi fusa coma.  
 9 Aureli, tibi sit tellus levis, ac brevis urna  
 10 afflet et usque crocos, spiret et usque rosas.

## TUMULUS PHIPELLAE MATRONAE PAUPERCULAE, TAMEN PUDICISSIMAE

T1\_38 v.1 Auratis digna es oculis, formosa Phiella :  
 2 heu te condit humus, vilis et herba tegit.  
 3 Heu heu, nec mater, nec te tua pignora deflent ;  
 4 nulla tibi est mater, pignora nulla tibi,  
 5 non frater, non cognato de sanguine quisquam,  
 6 non pater ipse aut quae lac tibi mamma dedit.  
 7 Vos, fusi, deflete, coli, deflete Phiellam,  
 8 flete et eam, lanae, flete et eam, calathi,  
 9 flete et, acus, et fila fleant et lina Phiellam  
 10 telaque. Vix tumulo, casta puella, jaces,  
 11 casta puella, lates tumulo vix, vix tibi cespes  
 12 dat tumulum, vix te terra inarata tegit ;  
 13 quae tamen haerba tegit, nullos haec sentiat aestus,  
 14 frigora nulla, tuo floreat usque solo.

## TUMULUS MASSILAE VERNULAE. URNA IPSA LOQUITUR

T1\_39 v.1 Urna loquor : cinis est infans, infantula mecum est,  
 2 vernula nata domi, nata gemella patri.  
 3 Hanc mater mihi commendat post funera et inquit :  
 4 "Ipsa tibi hanc peperit, nata futura tua est."  
 5 Hanc alvi in tenebris ; nutrix nox ; ubera suxit  
 6 Noctis, et infanti lac fuit ipse sopor.  
 7 Nec fatur ; verum somno testata perenni,  
 8 quam nasci satius vos docet esse mori.  
 9 Hanc nullae torquent curae, non matris in ore est,  
 10 non lana in digitis comminuenda datur ;  
 11 continuas ducit noctes ; lux nulla, nec ulli  
 12 sunt vitae sensus, munera nulla premunt.  
 13 Dumque haec ipsa loquor, secura infantula dormit ;  
 14 illam perpetuo somnus ab imbre rigat.  
 15 Nomen erat quod fecit herus Massila ; Camoenae  
 16 ornarunt domini pro pietate locum.  
 17 Hic dormit Massila ; sopor lac, ubera praebet  
 18 nox ipsa, at cunas et tenebrae et loculi.

## TUMULUS ROSAE PUELLAE ANTE DIEM MORTUAE

T1\_40 v.1 Non nomen tibi, quin omen fecere parentes,  
 2 dixerunt cum te, bella puella, Rosam ;  
 3 utque rosa brevius nil est aequeve caducum,  
 4 sic cito, sic breviter et tua forma perit.  
 5 Implesti denos vix nam formosa decembres :  
 6 vere, Rosa, heu nata es, mense decembre cadis.  
 7 Non aestus, sed te rapuerunt frigora brumae,  
 8 non aestas, sed te frigida solvit hiems ;  
 9 ergo non hiemi flores, non rapta per imbrem  
 10 frondescis, tumulo sed male, Rosa, rosa es.

TUMULUS PARTHENIAE VIRGINIS ET FACULAE VENERIS IN EO ARDENTIS.  
VIATOR ET GENIUS COLLOQUUNTUR

## VIATOR

T1\_41 v.1 Quis, rogo, quis titulus ? Fax num tabescit in urna ?  
 VIATOR - GENIUS - VIATOR - GENIUS  
 2 Fax cuja est ? - Veneris. - Urnula ? - Parthenies.  
 3 Partheniae faculam Veneri dum surripit, urnae  
 4 abdit et : "Hanc, inquit, ignibus ure tuis."  
 5 Tabuit ipsa suis fax ignibus intus abesa ;  
 6 hinc tumulus titulum virginitatis habet.  
 7 Parthenie jacet hic, Veneris fax hic quoque tabet,  
 8 Parthenie tituli jus habet et tumuli.

## TUMULUS ROSCIAE PUELLAE. IPSA E TUMULO LOQUITUR

T1\_42 v.1 Ros mihi dat titulum, nomenque est Roscia nostrum ;  
 2 ros brevis est, brevis, heu, sic mihi vita fuit.  
 3 Rore madet tumulus, stillant et marmora rorem ;  
 4 Roscia sum, me ros roscida et unda rigat.  
 5 Sed nec apes tumulo, verum insedere cicadae,  
 6 stridulaque ad cineres, hei mihi, turba crepat.  
 7 Bruma mihi requies, aestas est poena sepultrae,  
 8 bruma quies, aestas est mihi supplicium.

## TUMULUS STELLAE FERRARIENSIS. PONTANUS IPSE LOQUITUR

T1\_43 v.1 Sit vati fas, Pierides, quae lucida fulget  
 2 Stella polo, hanc proprio condere sub tumulo.  
 3 Stella, tibi tumulus caelum est, haec te tegit urna,  
 4 teque per et tumulus, te per et urna nitet :  
 5 Stella, nites urna, radios tibi et urna ministrat,  
 6 praebet et hos tumulus, et tumulo ipsa nites ;  
 7 at nec Stella jacet tumulo, sed splendet in urna,  
 8 splendet et in tumulo, nam polus est tumulus.

## TUMULUS CANDIDAE VIRGINIS. IPSA LOQUITUR, VATES RESPONDET

## CANDIDA

T1\_44 v.1 Nec me marmor habet, nec me tegit urna sepultam ;  
 2 in niveas abii candida versa rosas.  
 3 Forte interque rosas interque ligustra quieram,  
 4 aura fovet flatu, mater at ipsa sinu,  
 5 pallida cum caelo nubes delapsa repente  
 6 me rapit, inque auras dissipor ipsa leves ;  
 7 dum natam mater gremio, dum quaerit in ulnis,  
 8 pro nata niveas repperit ecce rosas.  
 9 Ne mihi, ne lacrimas quisquam, ne munera donet,  
 10 at tumulos ; horti sunt mihi nam tumuli.

## VATES

11 O felix, cui vere rosae atque aestate sepulcrum  
 12 sunt aerae, hinc flores fundis et hic Zephyros.

## TUMULUS VIRIDELLAE PUELLAE. IPSAMET DOLENS LOQUITUR

T1\_45 v.1 In lapide est titulus Viridella, sed ipsa sepulcro  
 2 devirui : heu, tumulus nomina falsa gerit.  
 3 Tabuit in cineres Viridella, colorque decorque  
 4 nullus adest : heu, quid nomina vana juvant ?  
 5 Quin potius Cinerilla legar, Cinerilla sepulcro  
 6 inscribar ; periit nam viror atque vigor.  
 7 Nec titulo est Viridella, nec est Viridella sepulcro  
 8 nomen : forma, vigor, denique nil superest.

## TUMULUS SILVAE PUELLAE RUINA RIPAE OPPRESSAE

T1\_46 v.1 Me tellus gravat ingenti divulsa ruina :  
 2 pro tumulo mons est, quam gravis, heu, tumulus.  
 3 Incubuit tumulo rupes ; haec ipsa sepulcrum  
 4 hausta facit, miseros, hei mihi, quam tumulos.  
 5 Increvit tumulo frondenti vertice silva ;  
 6 silva mihi est tumulus, hei mihi, qui tumulus.  
 7 Qui mihi sit titulus, quae nomina silva docebit :  
 8 silva mihi titulus, Silvaque nomen erat.

## TUMULUS PRUINAE PUELLAE. IPSA LOQUITUR

T1\_47 v.1 Nec mihi tristis hiems nocuit, nec saevior aestas,  
 2 non terrae, aut tumidi vis inimica maris ;  
 3 tabida vis rapuit, rapuit violentia febris ;  
 4 delicui, ut rapido sole pruina liquet.  
 5 Heu nomen fatale ; perinde ut sole pruina,  
 6 sic ego pallenti tabe liquens perii.

## TUMULUS SULPITIANAE PUELLAE. VIATOR ET UMBRA COLLOQUUNTUR

## VIATOR

T1\_48 v.1 Dicite, custodes umbrae, quae tanta sepulcri

2 cura est ? Sollicitas curve smaragdus habet ?  
 UMBRA  
 3 Parce, hospes, vocitare umbras. Amathusides ipsae  
 4 dicimur, et Veneri turba dicata sumus.  
 5 Hic nymphis defleta diu, plorata Camoenis,  
 6 clamata et Veneri Sulpitiana jacet.  
 7 Deflerunt nymphae formam, gestusque Camoenae  
 8 plorarunt teneros compositumque decus ;  
 9 clamavit Cytherea oculos oculisque pudorem  
 10 suffusum et veneres per labra perque genas.  
 11 In frondem nymphae formam in floremque Camoenae  
 12 rarum verterunt et sine labe decus,  
 13 inclusit Cytherea oculos saepsitque smaragdo  
 14 cumque his et veneres deliciasque suas,  
 15 mox statuit nos custodes. Hinc cura sepulcri  
 16 tanta est, sollicitas inde smaragdus habet.  
 VIATOR  
 17 Ferte, piae, dona haec, Amathusides, haecque smaragdo  
 18serta date, aeternos spiret et urna crocos.

TUMULUS EUMOLPAE SERVAE. VIATOR ET GENIUS COLLOQUUNTUR

VIATOR  
 T1\_49 v.1 Hos loculos, hos et tumulos, haec jura sepulcri  
 2 ecquis habet Lemurum ? Num Genius quis habet ?  
 GENIUS  
 3 Ipsa fides habet et casti reverentia lecti  
 4 Hic, atque hic Genius mutua jura tenet.  
 VIATOR  
 5 Sic requies huic sit tumulo, quaenam umbra quiescit  
 6 in loculis ? Cineres cujus et urna tegit ?  
 GENIUS  
 7 Sarmatis hic Eumolpa jacet, quae nupta marito  
 8 eripitur, Siculo captaque servit hero,  
 9 cujus dum fugit amplexus renuitque cubile,  
 10 praeceps de summa se jacet ausa domo.  
 11 Labentem simul excipimus, positamque feretro  
 12 condimus, et castis assumus hinc loculis.  
 VIATOR  
 13 Hos, Eumolpa, tibi flores, haecserta dicamus,  
 14 famaue sit cineri semper amica tuo ;  
 15 vos quoque, felices Genii, celebrate jacentem,  
 16 et facti memorem reddite notitiam.

DRYASTIDIS NYMPHAE QUERELA A RUSTICIS CAESAE.  
 VIATOR ET UMBRA COLLOQUUNTUR

VIATOR  
 T1\_50 v.1 Quaenam illa est igni e medio flammisque querela ?  
 2 Qui gemitus ? Miserae virginis anne sonus ?  
 3 Virginis ah miserae vox illa est. Sic tibi, virgo,  
 4 sit requies, gemitus causa nec ulla tui ;  
 5 dic, age, quaenam ipsa es ? Tanta quae causa querelae ?  
 6 Cur tantus medio surgit ab igne dolor ?

## UMBRA

7 Rustica sum nemoris generosi nympha Dryastis,  
 8 felix glande, ferax umbrae et opaca comis.  
 9 Inter Hamadryadas regnabam prima sorores,  
 10 primus honor mensae, gloria prima chori.  
 11 Invidiae fuimus. Fauni mea regna bicornes  
 12 invadunt, Fauni prodigiosa cohors,  
 13 agrestumque manus armant. Mea caeditur ilex  
 14 atque acer atque abies, denique caedor ego ;  
 15 immittuntque ignes, uror venerabile numen ;  
 16 dum loquor, heu, miserae viscera adusta crepant ;  
 17 et ferro mecum, saevis mecum ignibus actum est.  
 18 Hinc lacrimae et gemitus, inde querela venit.

## VIATOR

19 Qui Croesi extinxit flammam violentior imber,  
 20 ille idem exstinguat, maesta Dryasti, tuas,  
 21 et tibi succurrant Hyades pluvialibus astris,  
 22 nimbosusque suas funditet Auster aquas.

## TUMULUS IELSEMINAE PUELLAE IN FLOREM VERSAE. GENIUS LOQUITUR

T1\_51 v.1 Parce, hospes, violis, manes ne laede sepultos.  
 2 Si nescis, flores hi quoque numen habent.  
 3 Quae violae nunc sunt, fuit olim culta puella,  
 4 vota parum felix solvere quae nequiiit.  
 5 Voverat amplexus primos atque oscula prima  
 6 et primos flores haec, Hymenaeae, tibi.  
 7 Non passa est Lachesis. Miseri posuere parentes  
 8 in tumulo, et maestis thura dedere focis ;  
 9 certarant quaeque ora rosis, quaeque oscula gemmis,  
 10 atque oculi, per quas bella parabat Amor,  
 11 tabuerant (immane nefas) tenuesque papillae,  
 12 scilicet optasset quas Cytherea sibi.  
 13 Tum memor ipse sibi votos Hymenaeus amores  
 14 transtulit in florem corpora versa novum.  
 15 Pro cute subriguit cortex, proque ossibus haesit  
 16 stipes et e fibris fibra renata sua est ;  
 17 plurima quae fuerat nymphae coma, plurima mansit  
 18 et densum foliis praebet opaca nemus ;  
 19 sparsus et in toto fuerat qui corpore candor,  
 20 nunc multo nivei floris honore nitet.  
 21 Mansit odor mansitque alio sub corpore nomen :  
 22 hoc voti pretium dia puella tulit.  
 23 Jelsemina fuit nomen ; flos dictus ab illo est.  
 24 Quisquis amas, tumulo parce, nemusque cole.



## DE TUMULIS LIBER II

T2\_1 v.1 Spargite aquam, date thura focis ; lugubria ad aras  
 2 verba sonent, miseris verba ferenda modis.  
 3 Tristior et Lemures cantus juvat, et juvat ipsa  
 4 naenia funereis emodulata sonis.  
 5 Pax vobis, tenues umbrae, requiesque sepultis,  
 6 sit dolor et nullus, nullaque cura sitis,  
 7 perpetuae sint et noctes somnique perennes ;  
 8 o felix, sopor hic cui venit ante diem.  
 9 Aeternum dormite, umbrae, aeternumque silete ;  
 10 sit sopor aeternus, perpetuumque vale.  
 11 Tu vero cape et haec obitus solatia, Petre  
 12 Compater, a tenebris obsite Cimmeriis,  
 13 quod non opus est medico, non auspice nummo,  
 14 quodque opera dives nullius ipse egeas.  
 15 Aeternum sine me, et mecum post ipse valet, et  
 16 Compater, antiquis annumerande viris.

## TUMULUS LUCIAE PONTANAE FILIAE. PONTANUS PATER AD SEPULCRUM QUERITUR

T2\_2 v.1 Liquisti patrem in tenebris, mea Lucia, postquam  
 2 e luce in tenebras, filia, rapta mihi es.  
 3 Sed neque in tenebras rapta es ; quin ipsa tenebras  
 4 liquisti, et medio lucida sole micat.  
 5 Caelo te natam aspicio : num nata parentem  
 6 aspicias ? An fingit haec sibi vana pater ?  
 7 Solamen mortis miserae te, nata, sepulcrum  
 8 hoc tegit ; haud cineri sensus inesse potest ;  
 9 siqua tamen de te superat pars, nata, fatere  
 10 felicem quod te prima juvenia rapit.  
 11 At nos in tenebris vitam luctuque trahemus :  
 12 hoc pretium patri, filia, quod genui.

## HADRIANA MATER QUERITUR AD LUCIAE FILIAE TUMULUM

T2\_3 v.1 Nata, cape hos calathos depexae et munera lanae,  
 2 cum lana et calathis accipe et has lacrimas ;  
 3 nata, et acus et fila cape et cape linea texta,  
 4 cumque his atque illis accipe et has lacrimas ;  
 5 nata, colum fusosque cape et simul indita lina,  
 6 cumque colo et fuis accipe et has lacrimas ;  
 7 nata, cape has et bracteolas, haec aurea dona,  
 8 cumque his atque illis accipe et has lacrimas,  
 9 accipe et hos crines atque haec tibi munera grata,  
 10 flabellum et tenues accipe forficulas ;  
 11 accipe et hos crines, cumque his et scrinia et aureos  
 12 accipe verticulos, accipe gemmeolos ;  
 13 accipe et hos crines, cumque his bombycina testa  
 14 et zonam, et pictum hoc accipe reticulum ;  
 15 accipe, nata, meos crines lacrimasque meosque  
 16 exspecta et cineres, Lucia, et inferias.

## TUMULUS VIOLANTIS PUELLAE. VIATOR ET GENIUS COLLOQUUNTUR

VIATOR - GENIUS

T2\_4 v.1 Quaenam hic virgo jacet ? - Cujus de funere maerens  
 2 fregit Amor pharetram dissecuitque genas.  
 style="text-align: center;">VIATOR - GENIUS

3 Quis comes in tumulo est ? - Lusus, veneresque, jocique.  
 style="text-align: center;">VIATOR - GENIUS

4 Quis tam demisso qui madet ore ? - Decor.  
 style="text-align: center;">VIATOR - GENIUS - VIATOR

5 Quod nomen ? - Violantis. - Origo nominis unde est ?  
 style="text-align: center;">GENIUS

6 Surgebant violae fixit ubi illa pedem.  
 style="text-align: center;">VIATOR

7 Immanem Lachesin, quod nunc rapis. Heu brevis est flos,  
 8 quem neque ros posthac, lympa nec ulla riget.

## TUMULUS ELISIAE AGNESIAE. ARIADNA FILIA EXEQUIAS SOLVIT

T2\_5 v.1 Quae potui lacrimans persolvi funera, mater,  
 2 et tibi, quae nollem, filia dona dedi.  
 3 Nam tecum, quamvis primo cum flore juventae,  
 4 optarim cineres contumulasse meos ;  
 5 sed vetuere deae, natura saevior illis,  
 6 et proprio quod non ense jacere licet.  
 7 Haec Ariadna tibi solvit cum conjuge grato :  
 8 aeternum ac felix, mater Elisa, vale.

## TUMULUS LEONARDAE PONTANAE AVIAE MATERNAE. VIATOR ET MANES COLLOQUUNTUR

VIATOR

T2\_6 v.1 Dii manes, salvete ; an quas hic conditis umbras ?  
 style="text-align: center;">MANES

2 Salve, hospes ; sanctam condimus hic animam.  
 style="text-align: center;">VIATOR - MANES

3 Quis titulus ? - Leonarda jacet Pontana sepulcro,  
 4 post centum ac denas conditur hic segetes.  
 style="text-align: center;">VIATOR - MANES

5 Custodes quis vos statuit ? - Probitasque pudorque.  
 style="text-align: center;">VIATOR - MANES

6 Constituit tumulos an dea ? - Constituit.  
 7 Relligio tumulos statuit ; juvere puellae  
 8 Pierides, quoniam cura nepotis erat.  
 9 Tu requiem cineri optato, sic fata quiescant  
 style="text-align: center;">MANES - VIATOR

10 et tua. Visne aliud ? - Jamque valete, abeo.

## TUMULUS NELLAE MATERTERAE. PONTANUS LOQUITUR

T2\_7 v.1 Nec patria profugus puer exutusque bonorum,  
 2 Nella, tibi aut tumulos aut pia justa dedi,

3 nec pro blanditiis lacrimas, pro munere vitae  
 4 mortis dona tuo persolui cineri.  
 5 Nella, vel affectus matris, vel munus obibas,  
 6 Nella, mihi nutrix, Nellaque mater eras.  
 7 Nunc procul a patria senior jam dona feretri  
 8 et justa et cineri debita persoluo :  
 9 aeternum mihi, Nella, vale, ac requiesce sepulcro,  
 10 et valeant cineres, et mihi mater, have.

TUMULUS CAECILIAE AVIAE PATERNAE. PONTANUS LOQUITUR

T2\_8 v.1 Pax umbrae requiesque urnae, quae contegit umbram.  
 2 Thura adolete, sacri spargite fontis aquam.  
 3 Salve, avia, aeternumque vale, cape grata nepotis  
 4 munera, nec lacrimas sperne nec inferias.  
 5 Caecilia, et tibi sit tellus levis et fluat urna  
 6 ambrosia, ambrosius stillet et usque liquor,  
 7 et tibi perpetuum spiret ver, servet et urnam,  
 8 quam tu servasti cum pietate, fides.

TUMULUS TURPILIAE PUELLAE

T2\_9 v.1 Casta fuit, formosa fuit comisque puella ;  
 2 Turpiliae verum nomina iniqua tulit.  
 3 Moribus ornavit nomen raroque pudore,  
 4 cum fuerit thalami candor honosque tori.

TUMULUS CORVINAE MOROSAE FEMINAE

T2\_10 v.1 Hic posita est Corvina suo attumulata marito,  
 2 in tumulo et thalamo litigiosa cohors.  
 3 Anne cohors, ubi vir jaceat cum conjuge solus,  
 4 ille suae consors conjugis, illa sui ?  
 5 Dum clamant dumque inclamant dum stridet uterque,  
 6 hic boat, illa hululatur, fit tibi plena cohors.  
 7 Jam strepitant ; irata cohors jam currit ad arma ;  
 8 clamor ad astra volat, telaque trunca sonant.  
 9 Non litem, sed bella putes. Jam fragmina tundunt  
 10 marmora, jam tumulo saxa rotata crepant ;  
 11 heu, clamat Corvina, gemit percussus Homaster :  
 12 "Paeona de Stygiis, ite, ciete vadis."  
 13 Sed nec Paeone opus ; docti sua vulnera curent.  
 14 Vos fomenta piis fundite pro lacrimis.

TUMULUS CERBERI HOMINIS FURACISSIMI

T2\_11 v.1 Cerberus hic situs est, latrat sed ad ostia nullus ;  
 2 scilicet inditio ne sit, id ipse timet.  
 3 Fur erat et furtis vitam ducebat ; at illum  
 4 devorat in tenebris improba turba canum.  
 5 Umbra petit manes, quam Cerberus ore trifauci  
 6 devorat, haud Stygias passus inire domos.

7 Furibus haec poena est : furti reus hostia Ditis  
8 non intret, rabido praeda sit ille cani.

TUMULUS MIELLAE PUELLAE IN ADULTERIO OCCISAE

T2\_12 v.1 Heu, quid amor, malecastus amor, quid crimina possint,  
2 ipsa manu doceo caesa Miella viri.  
3 Haerebam misera in gremio malesaucia amantis,  
4 et mea languentis presserat ora sopor :  
5 irrumpit gladio conjux. Heu victa sopore  
6 vix sensi armatas in mea fata manus.  
7 Ejectam furtim, exequiis bustoque carentem  
8 tristis in ignota condidit hospes humo ;  
9 tabueram. Intestata diu nec crimina passus,  
10 Hymen immundas excit in ossa sues.  
11 Eruor infelix, populi nota, dedecus urbis,  
12 meque trahunt rabidae per loca tetra ferae ;  
13 quaeque Miella fui, nomen sum nacta Suillae.  
14 Disce, puella, tuo casta manere toro.

TUMULUS HOMINIS MENDICI

T2\_13 v.1 Nulla mihi vivo domus, at nunc certa sepulto est ;  
2 vitaeque paupertas, mors mihi divitiae.  
3 Vita mihi exilium, requies at certa sepulcrum ;  
4 nudus eram vivus, mortuus ipse tegor.

TUMULUS VIOLINAE PUELLAE. IPSA LOQUITUR

T2\_14 v.1 Prata mihi tumulum praebent violaeque sepulcrum  
2 fronde tegunt : mirum si Violina vocer ?  
3 Non mihi thure opus est aut nardo aut Arabe myrra :  
4 myrra mihi et nardus thuraque sunt violae.

TUMULUS URBANAE PUELLAE MALE SEPULTAE. IPSA QUERITUR

T2\_15 v.1 Rure quidem jaceo, cum sit mihi nomen ab urbe ;  
2 nec titulus, nec sunt nomina vera mihi.  
3 Poena mihi est tumulus, poena est rurale sepulcrum,  
4 quaeque quies aliis, est mihi supplicium.  
5 Pro viola porrum, pro thure atque Arabe costo  
6 cepa datur, cepis obsita semper humus ;  
7 meque sues, meque et verres vexantque capellae,  
8 inquinat et tumulos ingluviosus anas.  
9 In primis me turbat anus, quae carmine longo  
10 evocat et Manes, evocat atque Erebum.  
11 Vos alio cineres, alio traducite nostros,  
12 quaeque Urbana fui, rustica ne jaceam.

## TUMULUS SCANDEREBAEI HOMINIS BIBACISSIMI. GENIUS ET VIATOR COLLOQUUNTUR

## GENIUS

T2\_16 v.1 Funde urnam ad tumulos, funde et vinalia testa :  
 2 ebrius hic nunquam, sobrius hic ne utiquam,  
 3 ebrius hic semper, semper quoque sobrius idem.  
 VIATOR - GENIUS  
 4 Dic mihi quisnam hic sit. - Scanderebaeus erat.

## TUMULUS TRIUM GRAMMATICORUM. PONTANUS IPSE LOQUITUR

T2\_17 v.1 Paschalis jacet hic, docuit qui grammata, meque  
 2 instituit puerum nescius insciolum.  
 3 Melcior huic successit ineptus, et inde Cataldus :  
 4 tris hos vix unus ferre potest tumulus.  
 5 Ille valet pugnis, ast alter robore luctae,  
 6 hic clamore grues vicerit atque anates.  
 7 Ite procul, Musae, puerum me quae nequiistis,  
 8 his a grammaticis Nestorem eripite.

## TUMULUS FELICIS HOMINIS MERCATORIS

T2\_18 v.1 Felix hic jaceo, male felix, quem neque conjux  
 2 nec natus sepelit nec soror aut genitrix,  
 3 non pater aut frater. Rapidae excerpsero volucres,  
 4 praedaque sum cupidis, heu, data vulturis.  
 5 Dum variis inhio lucris, fora multa frequento,  
 6 et vitam et partas eripit hostis opes.  
 7 Linqor praeda avibus ; nullum tegit ossa sepulcrum :  
 8 sola per ignotos umbra vagatur agros,  
 9 donec me tumulo pastor donavit, et alno :  
 10 "Infelix, scripsit, hac requiescit humo."  
 11 Felix cum fuerim, nunquam post fata quievi,  
 12 infelix donec scriberer in tumulo.

## TUMULUS PETRI COMPATRIS IUCUNDISSIMI POETAE. IPSE ET VIATOR COLLOQUUNTUR

## PETRUS

T2\_19 v.1 Dic tumulo pia verba ; feres pretium ; jacet hic, qui  
 2 nec sensit lites jurgiave ulla domi.  
 VIATOR  
 3 Macte vir ingenio, spiret ver, floreat urna,  
 4 dent pacem et cineri numina : da pretium.  
 PETRUS  
 5 Do pretium : fuge vincla tori, fuge jura mariti ;  
 6 non tibi erunt lites jurgiave ulla domi.  
 VIATOR  
 7 Ducta est, conjugium subii : succurre marito.  
 PETRUS  
 8 Ducta est Parthenope si tibi, vive Senis.  
 VIATOR  
 9 Macte, iterum tibi ver spiret, tibi floreat urna,  
 10 et pascant manes Attica mella tuos.

## PETRUS

11 Comperter hanc legem statuit : connubia vita ;  
12 connubiis namque est addita rixa comes.

## TUMULUS IACOBI PONTANI PATRIS IOVIANI PONTANI

T2\_20 v.1 In tumulo situs est vatis pater ; hoc satis esset ;  
2 sed pater ipse suis laudibus auctus erat,  
3 cui gentilis honor, cui linguae ornatus et oris,  
4 atque togae, atque hastae, cui vel utrumque decus.  
5 Non est quod tumulo exoptes ; caelum ille petivit ;  
6 sed venerare piis ossa reposta locis.  
7 Ante diem rapuit Jacobum mors. Filius illi  
8 infans quae nequii, dat modo justa senex.

## TUMULUS PENTHESILEAE SORORIS. PONTANUS FRATER LOQUITUR

T2\_21 v.1 Septennem te fata, soror, rapuere parenti,  
2 dum tener in cunis ubere matris alor.  
3 Non sensi tua fata ; tamen consueta petebam  
4 oscula, consuetos blanda per ora modos.  
5 Saepe sinum, dulcisque jocos, tenerosque cachinnos,  
6 et vultum, et gratis illita verba sonis,  
7 saepe etiam lacrimis, quod abes, et voce querebar,  
8 in somnis etiam saepe petita mihi ;  
9 et risi, quod ades, flevi, quod abire parabas,  
10 uberaque ex ipso reppulit ore dolor.  
11 Senserat hoc nutrix ; fingit vocem ipsa sororis :  
12 admovi repetens ubera ad ora mihi.  
13 Hoc potui, soror, in cunis praestare sepultrae ;  
14 nunc titulum et lacrimas verbaque fratris habe.  
15 Sparge, puer, viola tumulum, diffundite nardum,  
16 fumet odorato myrraque thusque rogo ;  
17 accipeque et lacrimas fratris, soror, accipe questus,  
18 atque etiam, atque etiam, Penthesilea, vale.

## TUMULUS CHRISTIANAE MATRIS. PONTANUS FILIUS AD ILLIUS SEPULCRUM

T2\_22 v.1 Optabunt tibi, Christiana, Musae  
2 ad bustum bene, nec mihi negabunt  
3 ad matris tumulos adesse flenti.  
4 Has lactis pretium tibi quotannis  
5 ex voto lacrimas, parens, dicamus ;  
6 hos questus tibi pro labore et aestu,  
7 pro puerperii damus dolore,  
8 pro casta simul institutione,  
9 pro linguae studiis, bonique cultu,  
10 et desiderium tui perenne  
11 et suspiria pectoris vovemus  
12 cum luctu, gemitu, dolore et aestu.  
13 Nec Musae numeros negant querenti.  
14 Quod vivis bene, quod deos vereris,  
15 quod castum colis et probas modesta,

16 hinc te Pierides puellae amarunt,  
 17 amavit dea virginum magistra,  
 18 atque hinc te ad socios choros vocarunt,  
 19 inter quos agis et beata ludis.

PONTANUS FILIUS AD FERETRUM CHRISTIANAE MATRIS

T2\_23 v.1 Has te ego ad inferias, mater, voco : tu mea, mater,  
 2 accipe cum fletu munera mista suo.  
 3 Te natus vocat ad feretrum : tu munera nati  
 4 accipe et has lacrimas, accipe et hos gemitus.  
 5 Quid natum, mater, fraudas spe ? Nec mihi flenti  
 6 eximis aut lacrimas, eximis aut gemitus ?  
 7 O dulces matris vultus, o mollia corda :  
 8 mater adest, matrem jam peto, jam teneo,  
 9 jam ridet nato mater, jam brachia tendit,  
 10 jam teneo amplexus, ipse ego jam teneor.  
 11 Heu, natum mater, natum fugit immemor ; heu, nil  
 12 (nos) nisi, (heu), manes et levis umbra sumus.

TUMULUS ARIADNAE SAXONAE NEAPOLITANAE.  
 VIATOR, GENIUS ET HYACINTHUS COLLOQUUNTUR

VIATOR

T2\_24 v.1 Unde rosae ad tumulos, unde haec violaria ? Numquid  
 2 hi tumuli et violas et peperere rosas ?  
 GENIUS  
 3 Ver tribuit sua jura, simul tribuere Napaeae  
 4 huic cineri ; hinc violas, hinc peperere rosas ;  
 5 ipsae et Acidalio Charites de fonte liquorem,  
 6 ipsa et Acidalio rorat ab amne Venus.  
 7 Hinc violae florent, hinc roscida lilia canent,  
 8 hinc tener ipse tuo flore, hyacinthe, nites ;  
 9 et nitet et queritur maerenti flore Hyacinthus  
 10 suspiratque novo jure dolore puer.  
 11 En audis ? Miseranda volant suspiria, et udis  
 12 e foliis sese flebilis aura ciet.

HYACINTHUS

13 Formosae quondam dominae mihi cura vacabat ;  
 14 hinc mihi tuta aestas, hinc mihi mitis hiems.  
 15 Me dominae faciles digiti studiumque colebant ;  
 16 ver mihi sic semper, rosque perennis erat.  
 17 Extinctam flerunt nymphae, Venus aurea questa est,  
 18 terque comam vellit, ter scidit ipsa genas ;  
 19 inde mihi et nitidus cecidit flos, et mihi tristis  
 20 venit hiems, periit qui fuit ante nitor.

VIATOR

21 Felices tumuli, cinis at felicior. En tu  
 22 dic, puer : unde novus, qui tibi venit, honos ?

HYACINTHUS

23 Arebam dominae interitu, sed conjuge adempta  
 24 vir mihi de lacrimis subvenit usque suis ;  
 25 hic tumulo ex oculis rorem diffundit amicum,  
 26 hic cinerem ex oculis imbre fluente rigat.

27 Hinc redeo in florem, flos hinc ad busta resurgit,  
28 scribitur et foliis nota querela meis.

VIATOR

29 Felices tumuli, cinis at felicior. Heu, quae  
30 sors dominam eripuit, maeste Hyacinthe, tibi ?

HYACINTHUS

31 Invidia eripuit dominam. Lucrinide in unda  
32 dum lavat et calidis nuda fovetur aquis,  
33 obstupuit forma nympphae Misenia, et atro  
34 invidia infestas felle venenat aquas.  
35 Hinc rapta est. Flevere deae, lacrimisque dolorem  
36 testatae ; ad tumulos inde perennis honos ;  
37 e lacrimis violae, lacrimisque rosaria vernant,  
38 et mihi de lacrimis hic quoque crevit honor.

VIATOR

39 Usque fluant lacrimaeque tibi violisque rosisque,  
40 umbraque flebilibus usque rigetur aquis :  
41 dic, age, de lacrimis sate flos, dic, o puer alte  
42 de lacrimis, titulum dulceque nomen erae.

HYACINTHUS

43 Illa tori bene fida comes custosque pudici,  
44 cuique et acus placuit, cui placuere coli,  
45 quaeque focum castosque lares curavit, et arae  
46 et thura et lacrimas et piaserta dedit,  
47 in prolem studiosa parens et amabilis, uni  
48 quae studuit caro casta placere viro,  
49 hic posita est Ariadna. Rosae violaeque nitescant  
50 qua posita, et lacrimis hic mihi surgat honos.

VIATOR

51 Urna crocum dominae fundat, distillet amomum  
52 ad tumulum, et cineri spica cilissa fluat.

PONTANUS CONIUX AD TUMULUM ARIADNAE SAXONAE UXORIS

T2\_25 v.1 Quas tibi ego inferias, conjux, quae munera solvam,  
2 cum lacrimae et gemitus verbaque destituant ?  
3 Pro veteri tamen officio, pro munere lecti  
4 annua lustrato dona feram tumulo :  
5 thura, puer, laticesque sacros. Tu verba, sacerdos,  
6 dic bona, et aeternos rite precare deos.  
7 Rite sacras adolete faces. Mihi mortua vivis,  
8 uxor, et in nostro conderis ipsa sinu,  
9 (viva mihi ante oculos illa obversatur imago)  
10 et mecum lusus deliciasque facis,  
11 viva domum cultosque lares remque ordine curas,  
12 viva, Ariadna, domi es, viva, Ariadna, toro es,  
13 mecum perque hortos et culta vireta vagaris,  
14 et mecum noctes, mecum agis ipsa dies.  
15 Sic mihi viva vales, sic est mihi grata senectus,  
16 ut tua mors lasso vita sit ipsa seni.  
17 Haec ipse ad feretrum ; at tecum mens ipsa moratur,  
18 tecum post paucos laeta futura dies.  
19 Interea cape et haec miserae solatia mortis,  
20 atque in perpetuum, fleta Ariadna, vale.



## TUMULUS LUCII FRANCISCI FILII. PONTANUS PATER QUERITUR

T2\_26 v.1 Has aras pater ipse deo templumque parabam,  
 2 in quo, nate, meos contegeres cineres.  
 3 Heu, fati vis laeva et lex variabilis aevi ;  
 4 nam pater ipse tuos, nate, struo tumulos.  
 5 Inferias puero senior, natoque sepulcrum  
 6 pono parens : heu, quid sidera dura parant.  
 7 Sed quodcumque parant, breve sit, namque optima vitae  
 8 pars exacta mihi est, caetera funus erit.  
 9 Hoc tibi pro tabulis statuo pater, ipse dolorum  
 10 haeres : tu tumulos pro patrimonio habe.

## LUCIO FRANCISCO FILIO PONTANUS PATER INFERIAS SOLVIT

T2\_27 v.1 Has, Luci, tibi et inferias tibi et annua solvo,  
 2 annua vota piis, hei mihi, cum lacrimis,  
 3 haec, Luci, tibi et ad tumulos positumque feretrum  
 4 dona pater multis perluo cum lacrimis.  
 5 Haec dona inferiasque, heu heu, hunc nate capillum  
 6 incanamque comam accipe et has lacrimas ;  
 7 his lacrimis, his te inferiis, hoc munere condo.  
 8 Nate, vale aeternum, o et valeant tumuli ;  
 9 quin et hient tumuli, et tellus hiet, et tibi meme  
 10 reddat, et una duos urna tegat cineres.

## TUMULUS ISOLDAE MATRONAE FOECUNDISSIMAE

T2\_28 v.1 Felix prole sua felixque nepotibus urna  
 2 hac Isolda jacet clara puerperiis,  
 3 quam nati nataeque, cohors numerosa nepotum,  
 4 imposuit feretro, condidit in tumulo.  
 5 Inscribi hoc jussit busto : "Mea funera curent  
 6 quae mea deque meis viscera visceribus."  
 7 Quadraginta igitur strato imposuere feretro,  
 8 flet reliqua ad notum turba minuta rogam.

## TUMULUS BARCAE ANCILLAE. IPSA LOQUITUR

T2\_29 v.1 Pathma mihi in patria nomen tellure, Joanna  
 2 hic fuerat, Mauro Barca vocata seni ;  
 3 servivi Mauro, ingenuam me patria vidit,  
 4 hic domini laribus jus vel herile dedi.  
 5 Munditiis placui dominae fusoque fideque,  
 6 demerui dominum sedulitate mea,  
 7 nec Misis non cara fui ; me carmine Musae  
 8 donarunt, tumulo qui mihi venit honos.  
 9 Dulcis hero, dulcisque et herae, Charitum quoque cura  
 10 et cura Aonidum scita Joanna fui.  
 11 Ipsa manu dominae feretro composta supremas  
 12 excepi lacrimas, quas mihi fudit herus ;  
 13 quemque sinu tenerum fovi, cui garrula lusi

14 ad cunas, locat hac natus herilis humo.  
 15 Ille mihi inferias, ille et funebria solvit,  
 16 digne parens nato, digne parente puer.  
 17 Terra mihi, sit at aura levis natoque patrique,  
 18 sis memor et Barcae, sis, mea dulcis hera.

TUMULUS LUCILII PONTANI. VIXIT DIES QUINQUAGINTA.  
 PRAEFICA LOQUITUR, PUELLAE RESPONDENT

PRAEFICA

T2\_30 v.1 Infanti lacrimam ad tumulos floremque, puellae,  
 2 spargite, nam et vestro est dignus honore rogus.

PUELLAE

3 En flores, nardum ad tumulos balanumque liquamus ;  
 4 ipsa etiam lacrimae sponte per ora fluunt.

PRAEFICA

5 Nil infans ore infanti vix vagit ; at ipsae  
 6 munera vestra piis sedulae obite modis.

PUELLAE

7 Lucili, tibi lux nomen dedit et dedit ipsa  
 8 mater Stella tibi, stellaque luxque simul ;  
 9 eripuit nox atra, nigrae eripuerunt tenebrae.  
 10 Vixisti vix quot litera prima notat.  
 11 Hosne dies ? Breve tamne tibi lux fulxit ? Et aurae  
 12 maternum in nimbis sic tenuere jubar ?  
 13 Infelix fatum, puer heu male felix ; heu, qui  
 14 nec puer es, nec lux ; nec, nisi inane, quid es ?

PRAEFICA

15 Sit vobis ver perpetuum ac sine nube, puellae ;  
 16 Lucilii et cineri spiret inustus odor.

TUMULUS INFANTULI VAGIENTIS. VIATOR ET GENIUS COLLOQUUNTUR

VIATOR

T2\_31 v.1 Mira fides, tumulo vagit puer. Ecqua sub urna  
 2 umbra gemit ? Miseris en gemit umbra modis.  
 3 Praesidet huic tumulo quisnam geniusve deusve ?  
 4 Unde haec tam querulo vox geminata sono ?

GENIUS

5 Hic infans jacet Umbrenus, miserabilis infans,  
 6 vivit morte sua, crimine matris obit.  
 7 Haec urso assuescens, urso fit mater. Ibidem  
 8 morte obita. Mortem poena secuta sua est,  
 9 ut puer in tumulo vivat, petat improba mater  
 10 ut Styga, et hinc Stygias nocte reportet aquas,  
 11 quis puerum in tumulo pascat. Vagitus hic inde est ;  
 12 poena obitus matri, vita quidem puero.

TUMULUS VARIANAE PUELLAE. CARBO SOLVIT INFERIAS

T2\_32 v.1 Hos habet infelix tumulos Variana, nec ulli  
 2 juncta toro, nulli juncta puella viro.  
 3 Ut posita est loculis, miseri post funus amantes

4           munera cum lacrimis multa dedere suis ;  
 5   primus et e cunctis Carbo maestissimus illi  
 6           constituitque aras et stata sacra facit,  
 7   condidit et loculis manes, lavitque sepulcrum  
 8           de lacrimis : lacrimae tristia busta rigant.  
 9   "Nona dies aderat ; florent ad marmora thymbrae,  
 10   thymbra tegit tumulos, marmora thymbra tegit,  
 11   conveniunt et apes, et mella liquentia carpunt ;  
 12   dictaque Thymbrea est, quae Variana fuit."  
 13   Haec tibi Carbo tuus, Thymbrea ; hinc mella sepulcro  
 14   lecta legunt et apes, hinc tibi et illa fluunt.

TUMULUS NEAERAE PUELLAE. PETRUS SUMMONTIUS CELEBRAT EXEQUIAS

T2\_33   v.1       Hos cineres brevis urna (at non leve nomen in urna  
           2        scribitur : hic posita est pulchra Neaera) tegit.  
           3        Ah, crudele genus divorum : hic pulchra Neaera  
           4        est posita ? Hos cineres et brevis urna tegit ?  
           5        At non urna brevis tegit, aut leve nomen in urna est ;  
           6        quam Charites servant Pieridesque deae,  
           7        illam Petrus amat Summontius, hicque Neaeram  
           8        plorat et ad tumulos, sartaque dat tumulis.  
           9        Ast Petrum Charitesque colunt Musaeque tuentur ;  
 10        inde nec urna brevis, nec leve pondus habet.  
 11        Sis felix, longumque vale, dis grata Neaera,  
 12        et tibi defunctae crescat amantis amor.

TUMULUS LAURAE ARCELIAE UXORIS ANTONII PANHORMITAE

T2\_34   v.1       Elisiae nunc te valles et opaca vireta,  
           2        Elisius nunc te, Laura, recessus habet,  
           3        nunc interque hederas interque virentia sarta  
           4        conjugis optato, Laura, fovere sinu.  
           5        Ille canit : tua ab ore viri dum lumina pendent,  
           6        interea Elysium spicula tergit Amor,  
           7        quis castas iterum figit sub corda puellas  
           8        et renovat fidi vincula conjugii,  
           9        quis rursus Evadne, rursus quoque Penelopea,  
 10        et rursus veteres sentit Elisa faces.  
 11        Gaude, Laura, tuo rursus conjuncta marito,  
 12        tuque, marite, novam gaude et inire fidem.  
 13        Antoni Elysiae celebrant hymenaeon et aerae,  
 14        et Laurae castos florida prata toros.  
 15        Vivite, felices umbrae, thalamoque jugali  
 16        laeta agite, et parili munera obite fide.

TUMULUS LUNAE PUELLAE. IPSA LOQUITUR

T2\_35   v.1       Ne me, ne, rogo, terra tegat ; sinito aera apertum,  
           2        degravet et cineres tegula nulla meos ;  
           3        in lauri hic tantum titulus sit cortice : "Luna  
           4        hinc abii ad superos ; non mihi terra placet."  
           5        Manibus et Lunae pateat caelum, ossaque et artus

6 condas sub tacito tu, Charitae, sinu.

TUMULUS EUPLEAE PUELLAE NAUFRAGAE. IPSA QUERITUR, VATES RESPONDET

EUPLEA

T2\_36 v.1 Hic Euplea vagor tumulo sine ; me maris unda  
 2 ejicit, et sedes, hei mihi, terra negat.  
 3 Nunc misera affligor scopulis, nunc obruor alga,  
 4 nec recipit tellus, nec mare, nec scopuli.  
 5 Aere jactamur, rapidis jactamur ab auris,  
 6 nec mihi sunt sedes, nec loca certa mihi ;  
 7 nulla quies umbrae miserae nullusque receptus,  
 8 non nebulae, non me nubila nigra tegunt.  
 9 Jactor in incertum, fessis Euplea carinis  
 10 explosa et nautis. Hei, mihi quid reliquum ?  
 VATES  
 11 Sit modus, o Euplea. Tuus te portus et ipsum  
 12 accipiet litus terraque amica, tibi  
 13 et dabit inferias conjux cineremque piabit,  
 14 et cineri et tumulo debita persoluet.  
 15 Interea tibi dant lacrimas, Euplea, carinae,  
 16 litoraue ipsa suis maesta sonant numeris,  
 17 flebileque ad tumulum vates canit, et tibi carmen  
 18 dedicat. O felix umbra et amica, vale.

TUMULUS PURAE MATRONAE. IPSA LOQUITUR

T2\_37 v.1 Ne manes, ne terra tegat ; sinite umbra vegetur.  
 2 Nostra quidem certum non habet umbra locum,  
 3 non sedes mihi certa. Dies noctesque vagamur ;  
 4 exilio requies nec datur ulla meo.  
 5 Ipse error mihi poena, viros quod tempore in uno  
 6 et colui una duos, extuli et una duos.  
 7 De me igitur servare fidem ac retinere pudorem,  
 8 atque unum de me discite inire torum.  
 9 Nomen erat mihi Pura ; heu, quod nec pura, nec insons  
 10 vixi. Nunc vitae crimina morte luo.

TUMULUS VERONILLAE PUELLAE. IPSA LOQUITUR

T2\_38 v.1 Salva tibi sit ut urna, precor, quae ad flumina pergis ;  
 2 tu vero, ut mihi sit urna, precare, levis.  
 3 Siste ; mora est brevis ; hoc lege : "Veronilla, quiesce,  
 4 manibus et bene sit, et bene sit cineri."  
 5 Mutua sed faciam : bene sit tibi, sit bene natis,  
 6 sit quoque cum placido lis tibi nulla viro.

TUMULUS SANCTIAE PUELLAE NEAPOLITANAE.  
 IPSA VIRUM SUUM PICTOREM ALLOQUITUR

T2\_39 v.1 Quod vitam sine me, conjux, invitus agebas,  
 2 in lucem ipse artis munere restituis ;

3 sic tibi nec sine me vita est ingrata futura,  
 4 nec mors, quam fuerat, tam sit acerba mihi.  
 5 Sed neque me ad lusus aut oscula grata vocabis,  
 6 mutua neve etiam verba referre putes ;  
 7 nam corpus pictura refert, non corporis usum,  
 8 atque haec nunc vates, Sanctia non loquitur.

TUMULUS CASTAE MATRONAE PARUM PUDICAE

T2\_40 v.1 Casta viros habuit septem, quos extulit omnes :  
 2 hoc aegre est, quod non extulerit totidem.  
 3 In tumulo scribi hoc volui, quod nomine casta,  
 4 nunquam casta viri manserit in thalamo.

TUMULUS FRANCISCI HAURIAE STABIANI PROBI AC LITERATI ADULESCENTIS

T2\_41 v.1 Manibus hoc sacrum est ; manes ne laede, viator,  
 2 sed terram cineri, quaeso, precare levem.  
 3 Hauria Franciscus jacet hic, jacet ipsa voluptas,  
 4 deliciasque orbis invida claudit humus.  
 5 Heu fatis invise puer, fallaxque parentis  
 6 spes, et germanae cura dolorque tuae ;  
 7 tune puer, miserae subito tam erepte parenti,  
 8 heu nimium misero mors properata tibi est.  
 9 Quod si certa suas referunt post semina messes,  
 10 nimirum haec casiam thuraque terra dabit.

TUMULUS MILVII HOMINIS RUSTICANI

T2\_42 v.1 Falco pater mihi, Corvus avus, materque Columba,  
 2 Pica avia est ; quid plus ? Milvius ipse vocor.  
 3 Ne ne sarcophago condas, sit in arbore bustum ;  
 4 nidus sit tumulus, nidor et ipse juvat.

TUMULUS INFANTULI INNOMINATI

T2\_43 v.1 Nascitur hic obiitque simul, simul ipse sepultus :  
 2 vita obitusque simul, nomen at unde habeat ?

TUMULUS FOCILLAE PUELLAE

T2\_44 v.1 Frigidulo jaceo in thalamo, licet ipsa Focilla,  
 2 ligna nec extincto est qui ferat ulla foco.

TUMULUS GALLAE STERILIS FEMINAE

T2\_45 v.1 Galla fui, Gallo conjux bene juncta marito ;  
 2 verum nec pullos, ova nec ulla dedi.

## TUMULUS HYAE INERTISSIMI HOMINIS

T2\_46 v.1 Nunquam vixit Hyas, sed Hyas hoc conditur antro :  
2 si vixit nunquam, mortuus est nec Hyas.

## TUMULUS ERRIS NANI

T2\_47 v.1 Et tumulus brevis est, titulus brevis, et breve nomen ;  
2 et jacet hic nanus, nanula testa tegit.

## TUMULUS HICHTYPHAGI

T2\_48 v.1 Pro tumulo scopulus, pars est mihi funeris alga,  
2 in remo titulus : "Hic riget Hicthyphagus."

## TUMULUS AGANIPPI EQUI. IPSE STELLIFICATUS LOQUITUR

T2\_49 v.1 Et mihi Pegasides favere, et me quoque caelo  
2 illustrat stellis Pegasus ipse suis :  
3 Pegasides meritum referunt in vatis honorem,  
4 quem vexi et totiens restitui incolumem ;  
5 Pegasus hospitio recipit, quod et Aona siccum  
6 vatis ope et largis ipse replevit aquis.  
7 Hinc simul et vescor divino gramine, et una  
8 Ambrosiae exstinguo rore fluente sitim ;  
9 inde etiam Charites nomen fecere Aganippo,  
10 et tumuli et caeli dignus habetur honos.

## TUMULUS AVICULAE LIGURIS. PONTANUS LOQUITUR

T2\_50 v.1 Pro cavea e vitro tumulum cape, teque sepulcro  
2 hoc tege, perspicua conspicienda domo,  
3 hoc, ales mea, te tege ; sic mihi mortua vives,  
4 o Liguri. Hic tumulus sit tibi pro cavea ;  
5 pendeat e lauro tumulus, quem proxima myrtus  
6 vestiatis intactis semper opaca comis.  
7 Dum vitro spectanda nites et viva putaris,  
8 certatim volucres ad tua busta volant,  
9 et tibi nunc plaudunt pennis, nunc voce liquenti  
10 cantabunt blando carmina blanda sono.  
11 Hoc tibi funus erit, cineri sua dona volucres  
12 ista ferent. Liguris semper amata, vale.

## DEPLORATIO STURNI. PONTANUS QUERITUR

T2\_51 v.1 Cantabas mecum ad citharam, dulcisque querelas  
2 fingebas vario garrulus ipse sono,  
3 fingebas et me variantem carmina plectro,  
4 ore tuo et noster saepe recurrit amor.  
5 Ipse tibi numeros monstro, numerumque recenses ;  
6 ipse tibi carmen, carmen et ipse refers.

7 Saepe etiam rostro invitās, pungisque tacentem,  
 8 praecinīs et querulos, quos sequar ipse, modos.  
 9 Invidit mihi te nigri Jovis invida conjux,  
 10 quae laetum nobis nil sinit esse diu,  
 11 nil tenerum, nil dulce diu. Bone Sturne, bone ales  
 12 lenis avis, bellum quid queat esse diu ?  
 13 Ah desiderium, ac lacrimas quas, Sturne, relinquis,  
 14 ipse diu luctus, ipse future dolor.  
 15 At contra Elysium per te nemus et pia vernant  
 16 arva, sonant cantu prata canora tuo,  
 17 ac tenebrosum iter horrenda et via tristis Averni  
 18 sentit nescio quid gutture dulce tuo.  
 19 Tu modo, cum remeant nocturna ad somnia manes,  
 20 nocturnis venias manibus ipse comes,  
 21 et mecum in somnis dulces meditare querelas  
 22 ad citharam, et solitos perstrepe in aure sonos.

TUMULUS VOCIS AMATORIAE. VOX IPSA ET VIATOR COLLOQUUNTUR

T2\_52 v.1 Amantis. VOX - VIATOR - VOX - VIATOR - VOX  
 Claudite me in tumulo. - Quaenam es ? - Vox. - Cuius es ? -  
 VIATOR - VOX - VIATOR  
 2 Quid clamas ? - Heu heu. - Dic, age : cur geminas ?  
 VOX - VIATOR  
 3 Bis quoniam periit mihi Luna. - Et quaenam ea Luna est ?  
 VOX  
 4 Una quidem Phoebi est, una soror Charitum.  
 VIATOR  
 5 Quoniam abiit periitque simul ? Quid utramque gravaris ?  
 VOX  
 6 Utraque nam periit ; illaque et illa gravat.  
 7 Quae Phoebi, ad superos abiit ; Chariteia ad amnes  
 8 Hesperiae ; haec atque haec, hei, mihi bis periit.  
 VIATOR - VOX  
 9 Utraque num est eadem ? - Una est et simul utraque et ambae.  
 VIATOR  
 10 Unane cum periit, num periere duae ?  
 VOX  
 11 Quin eadem Luna est, eadem simul utraque et ambae :  
 12 unaque bis periit, utraque cum periit.  
 VIATOR  
 13 Cur nec amans petit et caelum et petit aequor ? It ipse  
 14 ad Styga quaesitum ; perdita Styx recipit.  
 15 Placabit manes cantu victorque redibit,  
 16 Lunaque erit terris reddita, Luna mari.  
 VIATOR - VOX  
 17 Cur tumulo cupis ipsa tegi ? - Ne sentiar ; ipsa  
 18 ne fuga sit caelo cognita neve mari,  
 19 ne se aether praedae accingat, neu pontus ad arma,  
 20 Lunaque sit pelago praeda, sit ipsa polo.  
 VIATOR  
 21 Ne doleas, mea vox, taceas ; tibi consule, nostro et  
 22 conde sinu : hoc pectus urna erit, hoc tumulus.

## LYRA ORPHEI AUXILIUM IMPLORAT A NYMPHA

T2\_53 v.1 "Nympha, tene, o age nympha, tene : meme rapit unda ;  
 2 Nympha, tene, o meme, candida nympha, juva."  
 3 "Quid quereris ? Quid et ipsa times ? " "Timeoque querorque  
 4 Bistonides matres Bistonidesque nurus.  
 5 Orphea diripuere, lyram jecere per undas,  
 6 meque vehunt amnes, me maris unda vehit.  
 7 Illa ego, proceras summis e montibus ornos  
 8 quae traxi et rigidas post mea plectra feras,  
 9 quae potui Stygium cantu mollire tyrannum,  
 10 tristificum flectens in mea vota canem,  
 11 illa ego Threicias fugio miseranda cohortes.  
 12 Me, dea, me tacito, meme, age, conde sinu.  
 13 En properant ; dumque ipsa loquor, me fila relinquunt,  
 14 plectra cadunt : o me pectore conde tuo."  
 15 Illa querebatur, Thressae properare cohortes ;  
 16 nec mora, quae fuerat jam lyra, factus olor.  
 17 Excita nam lacrimis nati properabat ad Hebrum,  
 18 flebat et attonito Calliopea gradu,  
 19 utque lyram et chordas vidit sine honore fluentes :  
 20 "Me miseram, haec nati sunt monumenta mei ;  
 21 Jupiter, exclamat, misero succurre nepoti,  
 22 meme Amimallonidum, me petit ecce manus ;  
 23 haecine avus pateris ? " Vix haec : de flumine cygnus  
 24 evolat, et niveus per vada cantat olor.  
 25 Forma petit caelum, caelo micat aurea ; plectrum  
 26 mansit humi, mater quod studiosa legit,  
 27 condit et in templo, tituli simul addit honorem :  
 28 "Threiciae hic sita sunt plectra superba lyrae.  
 29 Parnasus tenet haec, casto Parnasus in antro  
 30 servat, et incolumi stant veneranda fide."

## TUMULUS INFANTULI BIS MORTUI ET NUNQUAM EDITI

T2\_54 v.1 Mortuus ipse bis, at nunquam editus, inferor urnae ;  
 2 nam semel, exstincta matre, quidem morior :  
 3 mox utero matris caeso divellor, et infans  
 4 rursus obo. Infelix, nomine quod careo.

## TUMULUS THERMIONILLAE MERETRICULAE

T2\_55 v.1 Hunc tumulum (siquis tumulum vocet hunc, ubi Nais,  
 2 silvicolis habitat Nais amata procis),  
 3 hunc tumulum cultaeque nurus teneraeque puellae  
 4 et multo veniens thure frequentat anus.  
 5 Nai, doce causam, nam te pars tangit honoris.  
 6 Sic ego ; sic roseo Naias ore refert :  
 7 "Docta lyra, docta et cantu, spectanda choreis,  
 8 et praesignis acu Thermionilla fuit.  
 9 Hanc multi petiere et multos ipsa petivit,  
 10 ausa dare et cunctis, ausa rogare prior.  
 11 Cui pretium sine honore fuit, primaque juventa



12           exegit gratis munus amoris amans ;  
 13       inde, ubi ruga genas laxaverat, advocat artes  
 14           sedula et ignotas tentat inire vias.  
 15       Munera dat, blandasque preces ad munera jungit,  
 16           et precibus gratos adjicit apta modos.  
 17       Ante hanc indoctae jacuere ad vota puellae,  
 18           et nulli motus, linguaque muta fuit ;  
 19       prima leves agitare nates, tremulumque movere  
 20           scit femur et gratas continuare vices,  
 21       et docet inter opus miscere ad gaudia rixas  
 22           et querulum murmur verbaque digna jocos,  
 23       oscula nunc repetita dare ac repetita referre,  
 24           et nunc pugnaces opposuisse manus ;  
 25       prima Arabum molli de pectore fudit amomum,  
 26           Pestanam et Cypria miscuit arte rosam,  
 27       et levem erasa vellit lanugine pubem,  
 28           ut nunc ars haec sit, qui rudis usus erat.  
 29       At postquam confecta situ, confecta senecta  
 30           tabuit, et nullum comperit arte locum,  
 31       urbe procul licta, molles concessit in hortos,  
 32           deliciasque petit, nude Priape, tuas.  
 33       Sacra deae multa cum relligione ministrat,  
 34           et pleno felix pectore numen habet.  
 35       Hanc adeunt, quaecumque optat vel amare recusat,  
 36           atque redit votis utraque plena suis ;  
 37       ipsa velit, faciles educit carmine partus,  
 38           fecundam et, sterilis quae fuit ante, facit ;  
 39       ipsa velit, saevas compellet amare novercas,  
 40           Hippolyto partes sollicitante suas.  
 41       Longum est enumerare ; Cytaeida vicit, et illam,  
 42           quae potuit fratris spargere membra sui,  
 43       quae potuit nautas in mille novare figuras :  
 44           tantum illi carmen Marsicaque herba dedit.  
 45       Hinc tumulum cultaeque nurus teneraeque puellae  
 46           et multo veniens thure frequentat anus.  
 47       Ipsa ministeriis data sum comes, et mea certe  
 48           nota fides ; uni fidit et illa mihi.  
 49       Si meritum quaeras : utraque est accepta Priapo,  
 50           prostratae et pretium virginitatis habet."

TUMULUS HARMOSYNES PUELLAE NEAPOLITANAE

T2\_56   v.1   Harmosyne jacet hic. Fractos quos aspicias arcus,  
           2           et sparsos crines, atque sine igne faces :  
           3       arcus fregit Amor, Charites sparsere capillos,  
           4           extinxitque suas ipsa Erycina faces.  
           5       Quae tumulo increvit laurus myrtique rosaeque,  
           6           Pieridum e lacrimis noveris esse satas.  
           7       Harmosyne extincta est, sensusque extinctus amandi ;  
           8           nemo amat, et numen desiit esse Venus.  
           9       Infelix, quid agas, vates ? I, desere coetum,  
 10           et pete inhumanis lustra habitata feris,  
 11       frange lyram, contemne deos, lucemque perosus  
 12           noctem ama, et a somnis gaudia posce nigris.

## TUMULUS DRUSILLAE PUELLAE FORMOSISSIMAE. AMANS QUERITUR

T2\_57 v.1 Tunc etiam, Drusilla, jaces ? Tene improba Clotho  
 2 abstulit ? An dubitem numina et ipsa mori ?  
 3 Tecum deliciae, tecum charitesque jocique,  
 4 et decor, et cultus munditiaequae jacent.  
 5 Blanditias charitesque omnes exstinxit avarum  
 6 funus, et ex ipso est funere inermis Amor.  
 7 Ocia Amor, Venus ocia agit : discedite, amantes,  
 8 bella vacant juvenum, libera corda vacant.  
 9 Sed nec bella vacant, nec Amor sua perdidit arma ;  
 10 transtulit in superos tela facesque Venus.  
 11 Nunc superos, Drusilla, feris, nunc spicula mittis,  
 12 tela oculis, oculis retia et ore paras.  
 13 Juno Jovem, Cytherea tuum complectere Martem :  
 14 caelum amat. An cessas, Drusula ? Tende, feri :  
 15 Junonem spernet conjux, Dircaei Heben,  
 16 Jus tibi cedit Amor, cedit et arma Venus.  
 17 Jura dabis superis ; superi tua jussa sequentur ;  
 18 ipsa sedes, vulgus sternitur ante pedes.  
 19 Sed nec jura dabis, nec dii tua jussa sequentur ;  
 20 ipsa jaces, tellus et brevis ossa tegit.  
 21 Laetatur Juno, cujus prece sedula Clotho  
 22 sustulit. I, formae crede, puella, bonis.

## TUMULUS ANGELLINAE PUELLAE SENENSIS. PONTANUS QUERITUR ALLOQUENS AMATORES

T2\_58 v.1 Ne caelo Idalium sidus, ne quaerite, amantes :  
 2 occidit, ipsa latet victa dolore Venus.  
 3 Lugent te, Angellina, deae, flet gratia, Amorque  
 4 deseruit tristes tristis et ipse Senas,  
 5 exstinxitque faces puer excussitque pharetram,  
 6 et decor informes traxit in ore notas.  
 7 Munditiae cultusque nigra sub veste feretro  
 8 intulerant ; deicit funera acerba pudor.  
 9 Ut posita est tumulo, Caiae planxere puellae,  
 10 abruptit flavas Blandia nympha comas.  
 11 Has inter Junipra gravi superata dolore  
 12 maesta silet : lacrimae pulchra per ora fluunt ;  
 13 ipsa lavat corpus lacrimis ungitque liquore,  
 14 quem niger e lento palmite fundit Arabs ;  
 15 ipsa vale extremum peragit dum, voce retenta  
 16 concidit et visa est se quoque velle mori.  
 17 Dii factum aspexere ; brevi nam tempore surgit  
 18 Junipra e lacrimis, juniper, orta tuis.  
 19 Mansit Arabs odor in ligno, de cortice amaras  
 20 qui referat lacrimas : nunc quoque gutta cadit.  
 21 Qui sparsi crines tumulo jacuere sepultrae,  
 22 nunc vestit ramos horrida fronde coma.  
 23 Dis pietas, Junipra, tua est accepta ; sorori  
 24 contingit per te namque perennis honos.

## TUMULUS IACOBI SOLIMAEI MEDICI SALERNITANI. MUSAS INVOCAT AD EXEQUIAS

T2\_59 v.1 Quae liquidos Silari fontes quaeque arva Salerni  
 2 irrigua et doctis tecta habitata viris,  
 3 quae lauros, nymphae Aonides, Peneida silvam,  
 4 Amphrysi et colitis nota in amore vada,  
 5 ne, Musae, ne, Pierides, dum condimus umbram,  
 6 Paeonio abnuite carmina vestra seni.  
 7 Non succi tibi defuerant, Solimaeae, nec herbae,  
 8 quaeque docent Coi scripta probata viri ;  
 9 et tamen ut de plebe aliquis, de sorde togata,  
 10 occidis, et vili contumulare solo.  
 11 Ne nomen tamen intereat, quo fama supersit,  
 12 accipe quae cineri sint monumenta tuo :  
 13 "Par Phoebo, par Phoebigenae atque Machaone major  
 14 et melior, tegitur hac Solimaeus humo."

## PONTANUS UXOREM ARIADNAM IN SOMNIS ALLOQUITUR

T2\_60 v.1 Nocte quidem, conjux, tecum vagor, et tua mecum  
 2 umbra venit ; sic nox luxque diesque mihi est.  
 3 Luce autem sine te tenebris obversor, et ipse  
 4 me sine sum ; sic lux nox tenebraeque mihi est.  
 5 O valeant luces, lateat sol ; sic mihi, conjux,  
 6 vives, sic moriar vivus et ipse tibi.

## PONTANUS UXOREM SALUTAT ET LAURUM IN HORTIS AB ILLA OLIM SATAM

T2\_61 v.1 Cum lauru tibi crescit honos, tua nomina laurus  
 2 servat ; nam dextra crevit et illa tua.  
 3 Officium officio pensat gratissima laurus,  
 4 quique fuit nymphae, nunc quoque sensus adest.  
 5 Cum lauru mihi salve iterum, conjux mea, salve  
 6 conjuge cum, laurus, fronde et honore pares ;  
 7 ite pares, nomenque una servate per aevum,  
 8 et mihi frondenti sarta parate coma.

## TUMULUS IOANNIS IOVIANI PONTANI. VIATOR ET FAMA COLLOQUUNTUR

T2\_62 v.1 VIATOR - FAMA  
 Dic age, quid tumulos servas, dea ? - Nostra tuemur  
 FAMA - VIATOR  
 2 jura. - Deos cinerum num quoque cura tenet ?  
 FAMA - VIATOR  
 3 Haec mihi prima quidem cura est. - Quid concutis alas  
 VIATOR - FAMA  
 4 usque ? - Fugo tenebras, quo vigeant tumuli.  
 VIATOR - FAMA  
 5 Quid sibi quae collo pendet tuba ? - Nomen amico  
 6 dat cineri ; ad tumulos hac ego gesta cano.  
 VIATOR - FAMA  
 7 Dic agedum, manes cujus hi ? - Vatis ; at urnam  
 8 officio posuit docta Minerva suo.

9       Hos tumulos Jovianus habet ; quaeserta virescunt,  
10       lecta suis manibus disposuere deae.  
11       Sed manes ne quaere die : per amoena vagantur  
12       prata, sonat riguae sicubi murmur aquae ;  
13       Nymphae assunt, et adest dulcis Charis ; aurea cantu  
14       fila movent ; leni concinit aura sono.  
15       Nocte illum complexa fovet nitidissima conjux ;  
16       fervet, et a nulla parte refrixit amor ;  
17       haec illi comes in tenebris, quas vincit amoris  
18       lucida fax : gemina luce coruscat amor.